



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An potuerit ministerium absoluere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO I.

Cur eâ pœnâ afficitur?

Surdus & mutus Zacharias.

§.1. Angelici vocis non credidit, ideo surditate puniatur, contra promissionem oblocutus fuit, idcirco lingua colligatur, ne solui in verba possit. Surdum autem fuisse constat, quia de nomine filij nutibus quaerunt. Quæ ex pœnâ grauitate enim mortaliter peccasse arbitrantur, non considerant, plus in eâ fuisse mysterij, quam supplicij. Tantamq; fuisse ex fidepromissionis lætitiâ, vt pœnam vix senserit. Pluris enim erat aliquo damno certum reddi, quam integris sensibus animi pendere.

VERSVS 21.

Erat autem populus expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.

QVÆSTIO I.

Cur populus expectat?

Annuo expectationis sacrificio post se expectabatur.

§.1. Facile rationem dare possunt, qui Zachariam summum pontificem putant: nam solenne festum erat, & Pontificis reditum magnâ curâ expectabant. Non erat enim absolutum sacrificium, nisi postquam egressus Pontifex aliud sacrificium institueret. Leuit. 16. 20. Postquam emundauerit sanctuarium & tabernaculum & alare, tunc offerat hircum viuentem: & positum virgâ manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atq; peccata eorum: quæ imprecans, capiti eius, emittet illum per hominem paruum, in desertum.

Finem ergo sacrificij solennissimi tum expectabat: nec mirum videri debet, cum in anno semel solennis esset oblatio, ingresso in sancta sanctorum Pontifice. In hoc vero diuino sacrificio moræ causa non immeritò quaeritur, & admirationis cur tardaret. Adeo enim pauca inter se verba Angelus & Zacharias commutarunt, vt notari mora non potuerit. Quin potius mirari oportuit, si vir sanctus senili grauitate & tarditate, tam cito incensum obtulisset, quam iuniores solebant. Varias quisq; causas adducit. Maldonatus putat longiorem cum Angelo sermonem habuisse. Id quod probabile, instructum enim vel tum, vel postea arbitror, de præcursoris educatione. Mora nihilominus longior videtur, quam vt eam Angelus sermoinando insumpserit; nam horam vnam alteramq; fuisse probabile est; alioqui expectatio populi, & admiratio, & mori quæritur quod tardaret in templo, locum non habuisset. Mediocris enim mora admirationis causam non habuisset. Causam veram non dubito Zachariæ turbationem Angelo discedente. Nam dolore incredulitatis suæ, timore, mistâ lætitiâ, sensu surditatis, & mutitatis diuersimodè afficiebatur, atq; orationi sese dedit, & cor suum coram Deo effudit. Itaque in Deum abrepto tempus effluxit, in Anna matre Samuëlis similis mora, quamuis aliâ causa, & in Daniele cap. 10.

QVÆSTIO II.

Vnde cognouerunt visionem eum vidisse?

Signa visionis diuina.

§.1. Argumenta cur ita iudicant, solent adferri. Mora in templo, signa in vultu, lacrymarum indicia, totius corporis habitus piè attonitis: quæ tamen omnia etiam in vnum collata, non nisi infirmam coniecturam efficiunt. Nam mutus & surdus defluxu aliquo in musculos & neruos descendente sine grauiore morbo reddi potuit, nec in senè id mirum, aut nouum fuit.

Cum igitur indicia omnia nihil certi habuerint, dicendum eos cognouisse, quia erat inueniens illis. Et enim vim causalem habet, vt sensus sit. Et cognouerunt eum visionem vidisse. Nam erat inueniens illis, visionem vidisse restat.

§.2. Mysterium fuisse S. Ambrosius docet. Non enim vnus, inquit, mysterium, nec vnus silentium est. Tanta Zachariae mutuit, quia in vno totus ad Dominum populus loquebatur: Cessatio sacrorum & silentium Prophetarum; taciturnitas Prophetæ, & taciturnitas Sacerdotis est. Auseram, inquit, validam virtutem, Prophetam & consiliarium. Et vere abstulit Prophetas, à quibus abstulit verbum quod loqui in Prophetis solebat. Et verè hîs abstulit virtutem, à quibus Deus veritas recepit. Abstulit hîs consiliarium, quos magni consilij angelus declinauit. Abstulit vocem, quia vox verbi, non vocis est verbum. Nam nisi verbum illud operetur in nobis, nullus est sonus vocis. Vox Ioannes est: Vox enim clamantis in deserto, Christus est verbum, hoc verbum operatur. Et ideo vni desinit operari, muta repente, carens Spiritu veluti quadam anima, lingua conticitur.

VERSVS 23.

Et factum est: vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

QVÆSTIO I.

An poterit ministerium ab soluere?

§.1. Notata est ab omnibus interpretibus Zachariæ in cultu Dei zelus & diligentia: qui etiam mutus & surdus, dies tamen officij explete voluit. Vtinam Christianos sacerdotis imitatores habeat, quam si illi reuerentiam altaribus, de quibus viuunt, præstare vellent, populum etiam frequentem, deuotum & rei diuinæ exitum præstolari experirentur. Offerte autem incensum surdus & mutus poterat; nullâ enim lege vetebatur. Et si enim orationem effere non poterat, animo tamen concipere, & clamare facile fuit. Aliud in nouo testamento. Can. 77. Apost. est. Κωφὸς δὲ ὢν καὶ τυφλὸς, μὴ γενέσθω ἐπίσκοπος, & ἄς βεβλαμμένω (alias μεμαμμένω) ἀλλὰ ἡ μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμπόδιον, mutus & cæcus non fiat Episcopus, non quia si immundus, sed ne Ecclesiastica impediatur.

QVÆSTIO II.

An hinc sumi possit argumentum pro celibatu Sacerdotum?

§.1. A Bijt Zacharias in domum suam, quæ erat in Bethaniam, alios etiam Sacerdotes, qui Ierosolymis habitabant, tempore ministerij sui non domum, sed in templi tabularis habitasse Caluinus faretur, & ideo hoc factam, & vxoribus abstinerent, concedit, & probat. [Vtile enim, ait, omnem indulgentiæ materiem præcidi, quo liberius officio suo vacarent. Hinc tamen argumentari Papistas conueniunt. Quum abstinere, inquit, olim iussi sint Sacerdotes ab vxoribus quo tempore sacris operam dabant: merito nunc à Sacerdotibus requiri perpetuam continentiam, qui non per temporum vices, sed quotidie sacrificant: præsertim cum longè excellentior sit Sacerdotum dignitas quam sub lege. Verum scire velim, cur non à vino quoq; & ficea abstineant. Neq; enim præcepta quæ coniunxit Deus, separare fas est, vt de midiatantum pars, alterâ neglectâ, seruetur. Concupitus vxorum, interdicatur non tam discretè quam vini potus. Si legis prætextu celibatam iniungatur sacrificijs Papa, cur vinum illis perimitur?] §.2. Hic